

XI

AD PHYLLIDEM

Strophe Sapphica

Est mihī nōnum superantis annum
Plēnus Albānī cadus ; est in hortō,
Phylli, nectendīs apium corōnīs ;
Est hederæ vīs

Multa, quā crīnēs religāta fulgēs ;
Rīdet argentō domus ; āra castīs
Vīncta verbēnīs avet immolātō
Spargier agnō ;

Cūncta festīnat manus ; hūc et illūc
Cursitant mixtae puerīs puellae ;
Sordidum flammae trepidant rotantēs
Vertice fūmum.

Vt tamen nōris quibus advocēris
Gaudiīs : Īdūs tibi sunt agendae,
Quī diēs mēnsem Veneris marīnae
Findit Aprīlem,

Iūre sollemnis mihi, sānctiorque
Paene nātālī propriō : quod ex hāc
Lūce Maecēnās meus affluentēs
Ōrdinat annōs.

Tēlephum, quem tū petis, occupāvit
(Nōn tuae sortis iuvenem !) puella
Dīves et lascīva, tenetque grātā
Compede vīnctum.

Terret ambustus Phaetōn avārās
Spēs ; et exemplum grave praebet āles
Pēgasmus, terrēnum equitem gravātus
Bellerophontem :

Semper ut tē dīgna sequāre, et, ultrā
Quam licet spērāre nefās putandō,
Disparem vītēs. Age iam, meōrum
Fīnis amōrum,

(Nōn enim posthāc aliā calēbō
Fēminā) condisce modōs, amandā
Vōce quōs reddās : minuentur ātrae
Carminē cūrae.